

Item advisetur quod nullam guerram recipiat nisi contra Intrusum.

Item de facto domini Bernardi de Sala.

Item scribat dominus noster vel scribi faciat domino Pampi[lonensi] card[inali] quod desistat ab inceptis et mutet opinionem quam tenet.

Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. IV. 1906. pg. 593 - 606.)

Caput III.

Moderatores Generales Congregationis Vallisoletanae.

Constitutionum Congregationis Vallisoletanae jam absoluto epitome, visum est nobis statim subjicere catalogum Moderatorum Generalium eiusdem¹⁾ quia in honorem et laudem ipsius, immo et totius Ordinis nostri non parum cedere existimamus, siquidem paucae Congregationes tam ingentem virorum, sanctitate, doctrina muneribusque perfunctis illustrium exhibere poterunt numerum. Antea tamen nonnulla, sicut alio loco promissimus, delibare oportet circa quaestionem diu acriterque agitatam super electione Moderatorum Generalium, quam ex una parte Vallisoletani monachi, ex alia Congregatio sibi unice competere contendebat; mirum enim valde fuit quod hanc ob causam unitas Congregatioque ipsa non subverteretur.

§ I.

Controversia super Moderatorum Generalium electione.

Causa et origo huiusmodi controversiae repetenda sunt ex inordinata efformatione huius Congregationis, quae, sicut in capite primo demonstravimus nonnisi plurimorum annorum spatio absoluta fuit, accedentibus Coenobio Vallisoletano aliis Hispaniae Monasteriis singillatim et per magna temporis intervalla. Cum ergo plurium horum Monasteriorum reformatio Vallisoletanis monachis commendata fuisset, hique illa sibi maxima subiectione obstringerent, ita ut, suppressa saepe dignitate abbatali, novi eorum Superiores a Vallisoletano confirmarentur, hic tamen a suis tantum monachis electus ipso facto pro confirmato habebatur,²⁾

¹⁾ Ideo quae ad III in prioribus referebantur in IV inveniuntur.

²⁾ Privilegia, pag. 119, 126, 134.

factum est ut postea, Congregatione iam definitive constituta, iidem Vallisoletani ius eligendi Superiorem generalem ex consuetudine sibimetipsis arrogarent, quia Superior S. Benedicti erat Caput totius Congregationis.

Hanc Vallisoletanorum impositionem aegre ferebant cetera Monasteria utpote fundatione antiquiora et praestantiora, sed maxime molestum hoc ipsis erat ex quo potiebantur privilegiis Congregationis Cassinensis.¹⁾ Itaque res eo pervenit ut ad litem finiendam necessarium visum fuerit huiusmodi negotium ad Romanum Pontificem deferre. Paulus III. causam commisit Episcopo Seguntino Ferdinando Niño de Guevara, Indiarum Patriarchae, qui propterea anno 1550 interfuit Capitulo Generali celebrato in Coenobio Vallisoletano. In illo, ut dissidium componeretur, statutum est, approbantibus quoque monachis dicti Monasterii, quod ex tunc deinceps quoties Officium Generalatus vacare contingeret, Capitulum generale nominaret duos monachos, qui magis idonei et sufficientes ipsi viderentur, et ex eis conventus Vallisoletanus eligeret unum, qui, sic electus, esset simul Moderator generalis Congregationis et Abbas particularis Monasterii Vallisoletani.²⁾

Vix ad praxim deductum est hoc statutum cum Vallisoletani coenobitae videntes Congregationem nominasse ad munus Generalatus monachos ad alia monasteria pertinentes, indeque deducentes fortasse non amplius se habituros Abbatem ex proprio gremio selectum, reclamarunt contra initam conventionem, obtinueruntque ut in Capitulo generali anni 1559 novum decretum ederetur, quo statuebatur, ut alter ex duobus monachis a Congregatione nominandis desumeretur ex professis Coenobii Vallisoletani. Verumtamen praecavebatur ut si electus a Vallisoletanis esset ibidem professus, sequenti triennio alterum monachum praedicti Coenobii non professum eligere tenerentur.³⁾

Haec concordia novarum dissensionum causa fuit propterea quod neutrae parti satisfacere valebat; non Vallisoletanis, qui libertatem electionis coarctatam adhuc sentiebant, neque Congregationi, quia difficile admodum esset ut in uno Coenobio semper inveniretur talis monachus qui esset Generalatu dignus, quapropter contingere poterat ut despectis aliis dignioribus, minus aptum eligere tenerentur. Ideo res iterum ad Regem Romanumque Pontificem delata, Pius IV. an. 1561 praedictam concordiam annullavit renovans statutum an. 1550 utpote utrique parti magis commodum, simulque perpetuum super his imponens silentium tam conventui Vallisoletano quam aliis quibuslibet, et praeterea con-

¹⁾ Privilegia, 142, 165.

²⁾ Privilegia, 179, 188.

³⁾ Op. cit. pag. 180 — 188v.

cessit ut congregarentur saltem duodecim monachi a Rege seligendi, qui una cum Abbate Generali decernerent ea omnia, quae ad disciplinam et tranquillitatem Congregationis magis in Domino expedire iudicarent.¹⁾

Praedicti monachi apud Matritum congregati, an. 1562, ad tollenda huiusmodi dissidia statuerunt quod proximo triennio Conventus Vallisoletanus eligeret ex universa Congregatione duos monachos, ex quibus Congregatio seu Capitulum generale per secreta suffragia unum assumeret, qui simul esset Abbas Generalis et Superior Coenobii S. Benedicti, sequenti vero triennio Capitulum generale duos pariter nominaret monachos, quorum alter a conventu Vallisoletano eligeretur ad munus Moderatoris Generalis necnon et Abbatis illius Coenobii, et similiter observandum decreverunt si Generalatus intra triennium vacare contingeret, vocatis ad huiusmodi electionem Visitoribus generalibus et Definitoribus saltem quinque ex prioribus Monasterium Vallisoletanum; quae omnia probavit S. Pius V. nono Kal. iunii an. 1567.²⁾

Cum vero neque exinde optatae pacis exitus consecutus esset, neque Abbates aliique Congregationis religiosi finem conquirendi facerent, et e contra Vallisoletani coenobitae allegarent quod ante an. 1550 absque Congregationis interventu electionem Abbatis Generalis semper ipsi fecissent utpote quod eorum Monasterium erat caput ceterorum, quae ab eo reformationem acceperant; iterum pro parte Regis Catholici, nec non Congregationis et Conventus Vallisoletani supplicatum est Clementi VIII. ut opportunum remedium adhibere dignaretur. Summus Pontifex sancivit anno 1591 quod in primo Capitulo Generali Abbates, Procuratores Monasteriorum et reliqui votum in Capitulo habentes, libere et absque interventione Vallisoletani conventus (exceptis Capitularibus ad eum pertinentibus) eligerent Abbatem Generalem ex gremio Congregationis, qui simul esset Abbas Coenobii Vallisoletani; sequenti vero triennio eligerent monachum Vallisoletanum ad munus Generalis et Abbatis eiusdem Coenobii, et praeterea stabilivit ut semper eligeretur unus Definitor ex gremio Conventus S. Benedicti tamquam in compensationem electionis quae a conventu ad Congregationem transferebatur.³⁾

Cum autem postmodum Congregatio allegaret quod litterae Pii V. et Clementis VIII. obreptitiae et subreptitiae obtentae fuissent, et de earum nullitate ac gravaminibus, molestationibus et perturbationibus inde secutis in grave Religionis et obedientiae prae-

¹⁾ Privilegia, 182.

²⁾ Op. cit. 190.; Berganza (Franc.) O. S. B., »Antigüedades de España« Matriti, 1721, tom. II., pag. 303—304.

³⁾ Privilegia, 203.

iudicium coram Clemente VIII. reclamasset, hic Pontifex causam huiusmodi cognoscendam commisit Cardinalibus Camillo Borghesio et Pompeio Arigonio. Interea morte Clementis ad supremum Pontificatus apicem evectus Cardinalis Borghesius, hic in locum suum subrogavit Cardinalem Hieronymum Pamphilium. Praedicti ergo Cardinales, monumentis utriusque partis in medium productis ac diligenter examinatis, declararunt praedictas Pii V. et Clementis VIII. litteras reapse obreptitias et subreptitias esse, simulque iudicarunt expedire quod ad libertatem electionis Moderatoris Generalis omnes aliae Constitutiones praecedentium Pontificum ad hoc spectantes pariter annullarentur.

Sententiam Cardinalium confirmans Paulus V. Motu proprio 1. Sept. an. 1609, decrevit quod in posterum electio Abbatis generalis ad Congregationem spectaret ac pertineret, et proinde quod deinceps ipsa eligere posset ac deberet in suo Capitulo generali ad munus huiusmodi monachum ex toto gremio eiusdem Congregationis professum, quin monachi unius Coenobii plus iuris haberent quam ceteri aliorum Monasteriorum. Sed quod praecipuum erat separavit munus Generalatus ab officio Superioris Coenobii Vallisoletani concedens huius monachis ut habere possent peculiarem Abbatem ad instar aliorum Coenobiorum Congregationis.¹⁾

Hoc Decretum summa cum laetitia exceptum est ab universa Congregatione in Capitulo Generali adunata mense maio an. 1610 in Monasterio Vallisoletano sub praesidentia Illmi P. Prudentii de Sandoval, eiusdem Congregationis alumni tunc temporis Episcopi Tudensis, qui ad hoc specialiter fuerat delegatus a Nuntio Apostolico Hispaniarum. In tanti beneficii memoriam ordinarunt Patres ut in omnibus Coenobiis die festo S. Enneconis Abbatis Onniensis quotannis adderetur in Missa conventuali Collecta pro gratiarum actione, necnon ut sequenti die celebraretur solemne officium Defunctorum pro aeterna requie illorum omnium qui in pacificanda Congregatione praecipue operam impenderant.²⁾

Etsi Vallisoletani coenobitae, promulgato huiusmodi decreto, consentire atque acquiescere primo visi sunt, nihilominus paulo post veterem praetensionem renovare satagentes ad Philippum IV. Regem Catholicum contra praedicti Decreti formam et tenorem recursum fecerunt, et videntes se ab eo nihil obtinere potuisse, a pura et sincera obedientia et subiectione Moderatoris Generalis se substrahere tentarunt sub praetextu quod modus eligendi dictum Generalem mutatus fuisset.

¹⁾ Paulus V. »Inter graves«. Invenitur integre insertus in capite I. novarum Constitutionum Congregationis.

²⁾ Constitutiones, cap. I. n. 3 - 4.

Huic novo ac imminenti perturbationis malo volens occurrere Urbanus VIII., motu proprio, tertio non. Julii 1624 expedito, confirmavit sententiam Pauli V. super electione Abbatis Generalis, prohibuitque recursum ad quaecumque tribunalia extra Religionem, praeterquam ad Sedem Apostolicam, in eventu denegatae iustitiae a Capitulo Generali, necnon quod querelae de Superioribus ad externos deferrentur. Praeterea ne in posterum de vera, reali, actuali et sincera obedientia Superiori Generali Congregationis et toto gremio eius iuxta modum in dicta sententia et motu proprio Pauli V. electo difficultas in aliquo excitari contingeret, et ad tollendum omnem dubitandi aut dissimulandi occasionem, quae circa praemissa evenire posset.... praecepit quod ipsi Superiori Generali eadem prorsus obedientia et submissio quae aliis Abbatibus Generalibus in Monasterio Vallisoletano electis et forsitan in eo professis praestabatur, in omnibus et per omnia, perinde ac si ipse Superior generalis, sic electus, in dicto Monasterio professus ac iuxta antiquum eligendi modum electus esset, tam ab Abbate et Monachis eiusdem Monasterii Vallisoletani, ac ab eo dependentibus filiationibus et utriusque sexus subditis, quam etiam ab omnibus et singulis utriusque sexus aliis eiusdem Congregationis „regularibus personis modernis et pro tempore existentibus,“ praestaretur.¹⁾

Ita finivit magna haec atque diuturna controversia, tam acriter ab utraque parte propugnata; saltem nobis non constat quod deinde novae adhuc dissensiones excitatae fuissent. Hoc quidem in Catalogo Abbatum Generalium mox subiiciendum notamus, nempe, quod ex eo tempore nullus illorum qui Congregationem rexerunt, etsi extraordinarie electus, ex gremio conventus Vallisoletani amplius invenitur assumptus.

§ II.

Elenchus Moderatorum Generalium.

Nunc, ergo, quod diu valde desideravimus Elenchum Moderatorum Generalium huius praeclarae Congregationis producimus. Nullus interger, ut ita dicam, invenitur, ideo ex aliis est complendus. Primum, qui seriem Generalium Vallisoletanorum composuit, P. Gregorium Argaiz fuisse credimus, qui eam adjecit in appendice Historiae Monasterii Montserratensis, quam publici iuris fecit anno 1677, et incipit a primo Superiore Coenobii Vallisoletani atque prosequitur usque ad sua tempora.²⁾ Alium nobis reliquit

¹⁾ Urbanus VIII. »In sacra B. Petri Sede«, qui invenitur in Appendice Constitutionum, pag. 327—36, edit. Matrit. 1706.

²⁾ Etsi P. Argaiz quoad antiqua tempora nullus iam sit fidei, quia fere omnia ex pseudo-chronicis mutuavit errans magis simplicitate quam nequitia; tamen, quoad recentiora, plurima in eo inveniuntur scitu digna, quae quidem ipse magno labore, at non pari iudicio, collegit, quaeque apud alios frustra quaerentur.

catalogum Rmus. P. Dominicus Filgueira, quondam Sanctuarii Montserratensis Abbas, in Compendio historiae quam scripsit circa an. 1830; hicque incipit ab anno 1446 et pervenit usque ad extinctionem Congregationis; caute vero legendus est, quia plerumque in notis marginalibus apposuit nonnulla, quae, licet vera, non conveniunt illi personae cui ea ipse tribuit, sed alteri supra vel infra positae. Duos alios invenimus Catalogos saeculo XVIII. confectos; quorum unus anno 1767 exaratus est et deinde a duobus manibus usque ad 1835 continuatus; alter vero circa 1777 scriptus, pariterque ab alia manu usque ad finem Congregationis perductus. Ex his ergo unum perficiemus addentes quae hinc et inde sparsa colligere potuimus.¹⁾ Ut autem clare et ordinate procedatur illum in quasdam classes distribuimus, collocantes primo loco omnes Priores Monasterii S. Benedicti cum non possit assignari annus quo haec Congregatio incoepit; postea Abbates Generales ex gremio tantum dicti coenobii selectos; deinde Abbates Generales alternatim assumptos ex praedicto Monasterio et ex aliis Congregationis; postmodum Abbates Generales qui fuerunt a Decreto Pauli V. supra memorato usque ad Benedictum XIV. qui Congregationem in quatuor Provincias dividens statuit ut singulo quadriennio ex diversa Provincia desumeretur Abbas Generalis, et tandem ab hoc tempore usque ad extinctionem Congregationis.

I.

Priores Generales.

1. Antonius de Ceynos, 1390—98,

„vir sanctitate illustris, prudens, strenuus et religiosissimus“ a Yepesio nostro vocatus. Antea fuerat Prior Coenobii S. Salvatoris de Nogal quod erat Prioratus a Monasterio Sahaguntino dependens, ibique religiosam ita ducebat vitam ut mereretur esse caput monachorum qui pro fundatione novae Domus S. Benedicti Vallisoleti fuerunt selecti. Vacante postea Abbazia Sti. Facundi, designatus fuit P. Ceynos²⁾ Abbas eius Monasterii ab antipapa

¹⁾ Consuli potest etiam opus P. Berganza »Antigüedades de España«, vol. II., in quo meminit omnium fere Generalium, qui usque ad eius tempora Congregationem moderati sunt.

²⁾ Ab omnibus scriptoribus vocatur »Zelinus«, sicque nos in primo capite cognomen hoc scripsimus; sed P. Romualdus Escalona, monachus Sahaguntinus, non ita vocari debere contendit, cum cognomen istud haberet iuxta morem illius temporis sumptum ab oppido in quo natus fuerat, diciturque »Ceynos«. Cf. Historia de Sahagun, Matriti 1782, pag. 174.

Benedicto XIII. die 29. Martii 1398,¹⁾ attamen possessionem suscipere non valuit usque ad 4. Novembris sequentis ob inquietudines populi Sahaguntini. Strenue Coenobium gubernavit usque ad mortem, quae contigit mense Februario anni 1417.

2. Joannes de Madrigal, 1398—1421.

Laurea magisterii erat decoratus, talibusque dotibus excellabat ut an. 1416 missus sit ad antipapam Benedictum XIII. ad eum revocandum ad saniores consilium, nempe, ut resignaret Pontificatum quemadmodum saepe promisserat. Ita constat ex litteris Alphonsi Aragoniae Regis et Catharinae Castellae gubernatricis pro minore filio Joanne II., quas ad subditos respectivae ditionis direxerunt ut separationem ab antipapa novissent.²⁾

3. Martinus de Ribas, 1421—23.

Nihil speciale de eo scribitur. Exstant duo privilegia fortasse ab ipso obtenta, eodemque die a Martino V, concessa (nempe XVII Kal. Julii 1423) quorum primo tribuitur Priori Vallisoletano „auditis confessionibus clericorum seu laicorum Religionem profiteri volentium eos absolvere a quibuscumque criminibus et excommunicationum sententiis, et cum eis super irregularitate dispensare si quam celebrando divina, vel immiscendo se illis, vel alias qualitercumque non tamen in contemptum clavium, contraxerunt.“³⁾

4. Joannes de Acebedo, 1423—36,

„vir magnae auctoritatis et aestimationis, atque Religiosus eximius et magnae conscientiae“, arbiter iudex inter optimates et Regem Castellae in causa praecipue Alvares de Luna huius ministri.⁴⁾ Huic quoque Priori mense Decembri eiusdem anni 1427 commissa fuit visitatio Monasterii Sahaguntini, in quo introducere voluit consuetudines Snlacenses, quod non leves movit tumultus. Tentavit quoque hoc Coenobium Vallisoletano subiicere, obtinueratque ad hoc Decretum an. 1431, quod tamen ad executionem non pervenit. Coeterum ex eo tempore Coenobium S. Benedicti nullam

¹⁾ Corrigendus P. Argaiz, qui eius electionem usque ad annum 1399 differt., pariterque cum annum mortis 1413 fuisse scribit (op. cit. pag. 377, 474). Magis adhuc hac in re fallitur P. Yepes, qui usque ad an. 1413 protendit ejus translationem in Abbatem Sahaguntinum (III, 201v).

²⁾ Zurita »Anales de Aragon.« Lib. XII. cap. LXI (edit. »Glorias nacionales« Matrini 1853, pag. 80, tom. V.).

³⁾ Privilegia, pag. 70.

⁴⁾ »Cronica del Rey D. Juan II.« Valentiae 1779, pag. 243—44, Zurita, Op. cit. lib. XIII, cap. XLIV. (edit. cit. t. V. p. 137). — Mariana »De rebus Hispaniae lib. XX. cap. XV. In edition. hispana vocat eum »Abbatem« sed aperte fallitur.

amplius habuit subiectionem neque dependentiam a Sahaguntino. ¹⁾ Alia quoque privilegia pro suo Coenobio impetravit Joannes de Acebedo, inter quae habentur dispensatio circa votum clausurae in quibusdam extraordinariis casibus, et ut monachi possent recipere omnes sacros Ordines eodem die et extra tempora. ²⁾ Obiit an. 1436. ³⁾

5. Garcias de Frias, 1436—51,

„vir insignis magnarumque dotum“ a Yepesio praedicatus. Plura obtinuit privilegia pro suo Coenobio, quod ad instar reformationis Stae. Justinae regere curavit ⁴⁾ Anno 1439 designatus fuit arbiter inter Regem Joannem II. et Magnates Castellae, qui rursus propter ambitiosam Alvari de Luna in regno potentiam valde cum dicto Principe dissociati erant. ⁵⁾ Huic quoque Priori anno 1442 commissa fuit visitatio Monasterii Sahaguntini, quam, recusatus a monachis eiusdem, perficere non valuit ⁶⁾ Non extitit felicior in reformatione Coenobii Onniensis. ⁷⁾

6. Joannes de Gumiel, 1451—65.

Hic auctoritate Regis Henrici IV. fretus optatam et a praedecessore tentatam reformationem Onniensem ad felicem exitum perduxit an. 1454, et paulo post etiam religiosam vitam instauravit in antiquo Asceterio S. Turibii de Liebana. ⁸⁾ An. 1463 a Pio II. impetravit facultatem uniendi duo vel tria monasteria, in quibus propter exiguitatem reddituum tres vel quatuor monachi sustentari non possent; itemque transferendi quae constructa erant in locis sterilibus et inaquosis. ⁹⁾ Obiit anno 1465, fuitque ultimus Prior ad vitam electus. ¹⁰⁾

7. Alvarus de Cigales, 1465—66.

Defuncto Joanne de Gumiel, monachi Vallisoletani ad electionem successoris convenientes statuerunt prius quod de cetero Prior esset triennalis, elegeruntque ad hoc munus P. Alvarum de

¹⁾ Escalona, Op. cit. pag. 189—90, ubi scribit cognomen »Acebedo«. Difficile conciliari videntur huius authoris relatio et laudes Acebedo tributis in Chronico Joannis II.

²⁾ Privilegia, pag. 74, 78v.

³⁾ Argai, pag. 474—75.

⁴⁾ Cf. Privilegia, pag. 85 seq. praecipue 101, ubi exstant Explicationes Ludovici Barbi, quas in capite II. transcripsimus.

⁵⁾ »Cronica del Rey D. Juan II.« an. 1439, cap. XIV. pag. 397 edit. cit. Zurita, Lib. XIV, cap. LVIII, pag. 224.

⁶⁾ Escalona, pag. 191, 92.

⁷⁾ Yepes, V. 334v.

⁸⁾ Yepes, loc. cit., 335.

⁹⁾ Privilegia, pag. 118.

¹⁰⁾ Argai, Op. cit. pag. 475.

Cigales, qui statim hujusmodi statuti confirmationem a Paulo II postulavit,¹⁾ sed antequam Decretum expediretur, migravit e vita incipiente anno salutis 1466.²⁾

8. Joannes de Santander, 1466—70?

Hic primum missus fuerat ad reformandum Monasterium Stae. Mariae de Sopetran, Archid. Toletanae, an. 1449³⁾ deinde ad Stum. Turibium de Liebana, cuius Prior erat cum vocatus est ad suscipiendum regimen nascentis Congregationis anno 1466, quodque suscepit circa finem mensis Maii⁴⁾ habuitque usque ad 1470 in quo fortasse obiit.

9. Adamus de Villalon, 1470—73,

praecedenti successit in regimine Monasterii Vallisoletani et subiectorum die 21. Septembris an. 1470.⁵⁾ Nihil aliud de ipso nobis innotescit.

10. Joannes de Burgos, 1473—76.

Neque de hoc Priore aliquid aliud novimus, nisi quod eligi meruerit iterum, nempe an. 1482 usque ad 1485.⁶⁾

11. Joannes de Chevaller, 1476—82,

rexit Vallisoletanos duobus trienniis, pluraque pro eis obtinuit privilegia.⁷⁾ Anno 1478 misit octo monachos ad reformationem Monasterii S. Isidori de Dueñas, qui eam ibidem instituerunt die 21. Octobris.⁸⁾

12. Joannes de Soria 1485—88,

antea fuerat Prior Stae. Mariae de Sopetran (1475—78),⁹⁾ ex quo transiit ad S. Isidorum de Dueñas.¹⁰⁾ Postea missus fuit cum V. P. Garcia de Cisneros ad reformandum Asceterium Montserratense,¹¹⁾ et deinde, eadem de causa, ad Sahaguntinum, quo pervenit die 18. Decembris 1494 et reformationem introduxit, mansitque nomine Praesidentis illum Conventum regens usque ad mortem, 1496.¹²⁾

¹⁾ Privilegia, pag. 119v. Berganza (Franc.) O. S. B., »Antigüedades de España«, Matriti 1721, tom. II., 277.

²⁾ Argaiz, loc. cit.

³⁾ Heredia (Ant.) O. S. B. »Historia del ilustrísimo Monasterio de Nuestra Señora de Sopetran.« Madrid 1676, pag. 171.

⁴⁾ Argaiz, Op. cit. pag. 476.

⁵⁾ Argaiz, loc. cit.

⁶⁾ Argaiz, loc. cit.

⁷⁾ Cf. Privilegia, 120v—125.

⁸⁾ Yepes, IV, 201v.; Argaiz, 476.

⁹⁾ Heredia, Op. cit. pag. 172.

¹⁰⁾ Yepes, loc. cit.

¹¹⁾ Yepes, IV, 229, 240v.; Argaiz, 113, 476.

¹²⁾ Escalona, 202—3; Yepes, I, 281 meminuit »Joannis de Soria« Abbatiss. S. Aemiliani an. 1502, qui an idem cum hoc, de quo agimus, fortasse non mortuus sed translatus, dubitari potest.

13. Joannes a Sto. Joanne, 1488—97,

ab oppido „San Juan de Luz“ in Navarra inferiori tunc sito. Ab an. 1487 regebat Monasterium S. Isidori de Dueñas, ubi brevi tempore nonnulla praeclara gessit.¹⁾ Electus est Prior S. Benedicti Vallisoletani die 24. Septembris 1488, et postea iterum atque iterum confirmatus reformationem Monasteriorum necnon et Congregationis augmentum et confirmationem curavit. Expleto cum laude regimine Montemserratum petiit, ibique meritis plenus, et B. Mariae V. apparitione in extremis recreatus, e vita migravit die 26. Februarii 1497.²⁾

II.

Abbatess Generales Vallisoleti professi.

14. Rodericus de Valencia, 1497—99.

Erat subprior, seu Vicarius Joannis a Sto. Joanne, quo absoluto, vel defuncto, in ejus locum suffectus est, atque Abbatis titulo decoratus iuxta privilegium Alexandri VI.³⁾ Ipsi commissa fuit paulo post reformatio disciplinae in Monasteriis Galleciae, quod dum exequabatur, mortuus est a. 1499.⁴⁾

15. Petrus de Najera, 1499—1512,

habitus suscepit in percelebri Monasterio Stae. Mariae de Naiara, ibique professionem emisserat, sed audiens reformationem Vallisoletanorum, ad illos pertransire obtinuit. Postea missus fuit ad Monasterium Sahaguntinum, cuius Abbas electus est initio an. 1496. Ad Generalatum Congregationis promotus fuit mense Septem. 1499 et perduravit in officio, saepe electus, usque ad 1512. Postea iterum an. 1515 ad idem munus designatus, cum iam triennium explebat, decessit e vita in Monasterio Montis-serrati visitationem peragens an. 1518. Fuit vir valde doctus atque ad negotia pertractanda singulariter industrius, quapropter multum Congregationi profuit.⁵⁾

¹⁾ Yepes, IV. 202—3. — Juxta P. Filgueira erat professor hujus Coenobii.

²⁾ Yepes, IV, 229, 240. — Argaiz 113. Filgueira »Compendio de la Historia... de Montserrat«, Ms. pag. 484; Anselmus a Sto Benedicto »Catálogo de los Bienhechores de Montserrat«, Ms. pag. 16v. ex quo auctore clare patet male suspicari P. Argaiz circa genus mortis P. Joannis (pag. 114). Gravius errat dum eum postea collocat an. 1515! inter Abbates Monasterii S. Ginesii des Fontaines, hunc Priorem generalem confundens cum monacho Joanne a S. Joanne, qui habitum suscepit apud Montemserratum die 27. Aprilis 1502, ut videre est in Catalogis Monasterii, a quo dependebat supradicta Abbatia.

³⁾ Privilegia, 138.

⁴⁾ Argaiz, pag. 474. — Nescio quare P. Filgueira, qui ab isto suum catalogum exorditur, illi assignat annos 1449—78.

⁵⁾ Yepes III. 202; VI. 151 et alibi saepe. Argaiz, op. cit. pag. 163, 476.

16. Joannes de Amusco, 1512—15.

Hic omittitur a P. Argazio, sed de illo expresse loquitur cl. P. Berganza, et invenitur quoque in Catalogo P. Filgueira.¹⁾ Ipsum secum detulerat Abbas generalis Petrus de Najera cum Monasterium Charadignense Congregationi Vallisoletanae adiunxit 24. Julii 1502, et ibi mansit tanquam conventualis eiusdem ut reformationem promoveret. Cum an. 1512 vetuerit Capitulum generale iterare electiones Abbatum in eodem Coenobio, suffectus est P. Joannes de Amusco pro P. Petro de Najera in Vallisoletano, et proinde simul evasit Abbas generalis Congregationis, quam per triennium rexit.²⁾

17. Didacus de Sahagun, 1519—25,

ex provincia Campaniae Vaccaeorum, per sexsennium Congregationi praefuit, postea Monasterii Carrionensis Abbas renuntiatus (1525—32) deinde Compostelanus (1538? 41), tandem ad regimen Congregationis iterum vocatus (1544? 50) magna cum laude ipsam rexit. Postremo ad Prioratum de Chantada se recepit, ibique de morte praemonitus magna sanctitatis opinione vitae cursum implevit anno 1550.³⁾

18. Alphonsus de Toro, 1525—44?

item ex eadem provincia oriundus, fortasse ex civitate Tauro (Toro) ea in regione nobilissima. Priusquam ad Generalatum promoveretur Abbatiam S. Isidori de Dueñas administravit (1521); postea vero designatus fuit Abbas Montserratensis, quo in munere, si Argazio, aliisque illum clausis oculis sequentibus fides adhibenda est, minus felix extitit praecipue in administratione rei familiaris quapropter Abbatiam resignavit an. 1546.⁴⁾ Tandem invenitur Abbas S. Joannis de Podio ab anno 1553 ad 1556⁵⁾ et Stae Mariae de Obarenes (1559.⁶⁾

¹⁾ Hic male cognomen eius scribit »Armusco«, si enim, ut moris erat, illud ex loco originis accepit, dicitur »Amusco«, estque situs in dioecesi Palentina, in Campania Vaccaeorum, ex qua eum oriundum fuisse dicit.

²⁾ Berganza, »Antigüedades«, t. II, 283 et 285.

³⁾ Yepes, VI. 89; IV. 58, et 203 ubi eum inter Abbates Ovetenses adnumerat an. 1446, quod nescio quomodo eum supradictis componi possit. Reapse his annis chronologia non satis recte in Catalogis procedit. — Juxta Catalogum P. Filgueira 1518—25; 1544—53. — Argaz, Op. cit. pag. 161, 182, 476.

⁴⁾ Argaz, pag. 185. — Yepes, IV. 241v. qui causam huius resignationis omnino silet. P. Filgueira non acquiescit sententiae Argazii, putatque alias fuisse rationes, et certe non absque fundamento, cum agatur de viro, qui toties universae Congregationi regendae dignus inventus fuerat. Hic etiam notandum puto quod nonnulli scriptores conqueruntur quod P. Alphonsus electus sit Abbas Montserratensis contra iura provincialia! Quo in Capite Regulae S. P. Benedicti haec observanda praescribuntur?

⁵⁾ Yepes, IV. 203; V. 62.

⁶⁾ Berganza, pag. 308.

19. Rudericus de Vadillo, 1550—53,

nobilis genere, sed virtute, scientiaque aliisque dotibus nobilior; antea fuerat Abbas Monasterii Hirachensis (1547—50). Post alias Praelaturas iterum ad supremam Congregationis dignitatem euectus est an. 1565. Imperatori Carolo V. fuerat a concionibus, itemque Philippo II. Regi Catholico, qui eius dotes bene perspectas habens illum Romam missit in causa celeberrima Archiepiscopi Toletani Bartholomaei de Carranza, O. P. quem sui aemuli de haeresis suspicionem accusaverant. Dum Romae esset P. Vadillo promotus fuit ad Episcopalem Sedem Cephaludiensem in Sicilia, an. 1569, qua in dignitate vixit usque ad Kal. Februarii 1577.¹⁾

20. Bartholomaeus de Albear, 1553—56,

fortasse cognomen accepit ab oppido Albear, Dioecesis nunc Santanderiensis, vir magnanimus, qui inter alia munera in Congregatione perfuncta dignitatem Abbatialem in Monasteriis Stae. Mariae Naiarensis (1532), et S. Petri de Arlanza (1548) feliciter gesserat. Obiit in Monasterio S. Benedicti de Zamora.²⁾

III.

Abbates Generales tum ex Vallisoletano, tum ex aliis Coenobiis alternatim assumpti.

21. Didacus de Lerma, 1556—59.

Burgis nobilibus parentibus natus, et Coenobii S. Joannis Baptistae ibidem monachus professus, postea conventualis Montserratensis,³⁾ ita virtute, scientia, peritiaque ad negotia tractanda enituit ut propterea electus fuerit Procurator generalis apud romanam Curiam. Inde reversus a Montserratensibus monachis Abbas designatus est an. 1553. Postea fuit Abbas Coenobii S. Joannis de Podio (1565). Concreditam etiam habuit Abbatiam Sti. Salvatoris de Cellanova. In Montemserratum reversus, ibidem spiritum Deo reddidit 24. Januarii 1574.⁴⁾

¹⁾ Yepes, III. 385; Argaiz, 199, 476; Gams, O. S. B. »Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae.« Ratisb. 1873, pag. 946.

²⁾ Yepes, VI. 153; I. 382. — Argaiz, 476.

³⁾ Yepes, VI. 429, quod forte ansam dedit nonnullis scriptoribus ad eum recensendum inter professos montserratenses, at immerito; neque invenitur in Catalogis monachorum huius Coenobii, qui adhuc servantur. Certe P. Yepes, V. 62v. vocat eum »professum Montisserrati«, sed deinde loc. cit. enumerans viros illustres Monasterii Burgensis, recenset pariter »Didacum de Lerma« cuius nomen male ab aliquibus scriptoribus traditur corruptum »Lesma« et »Lesmes«.

⁴⁾ Yepes, IV. 241v; V. 35v, 62v; VI. 429; Argaiz, 187—89, 476; Berganza, II, 304.

22. Georgius Manrique, 1559—62,

ex nobilissima familia Ducum de Najera ortus; primum monachus Hieronymianus, deinde Benedictinus Vallisoleti factus, observantia et religione magis quam sanguine clarus, plurium Coenobiorum rector extitit, inter quae memorantur Zeloriense in Asturibus et Hirachense (1547—50), atque Hispalense (1550—53), cujus iterum regimen ipsi commissum fuit ab an. 1565 ad 1568.¹⁾

23. Joannes de Villaumbrales, 1562—65,

humilibus sed honestis parentibus natus in oppido eiusdem nominis, dioecesis Palentinae, habitum benedictinum suscepit in Monasterio Sahaguntino anno 1526, tantumque virtute ac observantia profecit, ut simul evaserit doctus et pius, quapropter ei commendatae sunt plures praelaturae; fuit enim Abbas Sahaguntinus ab an. 1546 ad 1552; deinde Ovetensis (1552—56), postea Samonensis (1556—59), iterumque Sahaguntinus (1559—62), ex qua ad regimen totius Congregationis assumptus est. Expleto Generalatus triennio in Collegium Salmantinum se recepit ut quietius liberiusque mortem expectare valeret, quae evenit die 3. Aprilis an. 1567, relicta magna virtutis et prudentiae opinione in omnibus Coenobiis ipsi olim commendatis.²⁾

24. Alphonsus de Zorrilla, 1568—71,

nobili genere ortus in oppido Espinosa delos Monteros, archidioec. Burgensis, habitum religionis induit die 30. Julii 1526, aet. 18. in Monasterio Onniensi. Studiorum curriculo in Salmanticensi collegio notabilissime peracto, verae Religionis propugnandae zelo inflamatus in Germaniam transire obtinuit ad reducendos in viam veritatis haereticos, sed a proposito desistere coactus, in Italia remansit atque studia perfecit in Universitate Bononiensi, ubi doctoris lauream adeptus est. Concilio Tridentino interfuit una cum Didaco Hurtado de Mendoza Caroli V. Caesaris Oratore, deinde in Belgium transiit et paulo post in Hispaniam reversus anno 1553 Abbas Burgensis factus, deinde Onniensis (1556), atque Hispalensis (1559), necnon et Salmanticensis (1562). Cum in omnibus hisce locis officium suum rite sancteque adimplevisset, missus est postea in Lusitaniam ut reformationem Monasteriorum illius regni aggrediretur, quod et apprime quoque peregit. Vocatus inde ab Abbate Generali iterum Coenobio Salmanticensi praefectus fuit, et tandem universae Congregationi quam sanctissime rexit usque ad mortem, quae contigit anno 1571. In extremo jam

¹⁾ Yepes, III, 385; Argaiz 292, 476; Ferotin, O. S. B. »Histoire de l'abbaye de Silos«, Paris 1897, pag. 210.

²⁾ Escalona, op. cit. 207—8; Yepes, III. 202v, 221v, 233. Argaiz, loc. cit. et pag. 293, 378.

morbo positus et Sacramentis devotissime susceptis, habitum religionis ad corpus suum involvendum humillime petiit, quod postea in Congregatione ab omnibus religiose observatum est.¹⁾

25. Placidus de Salinas, 1571—74,

a Mondragon in Cantabria, monachus Vallisoletanus, vir religione doctrina, negotiorumque gerendorum peritia insignis, magnique apud Reges habitus, plurium Coenobiorum rector, praecipue vero Ripaesilensis et Hirachensis (1565), ex quo inter eremitas Montis-serrati delitescendi gratia se recepit, sed paulo post a Patribus Capituli Generalis ad regendam Congregationem vocatus est an. 1571. Deinde Abbas Salmanticensis designatus (1579) novem annis Collegio praefuit. In Montemserratum reversus huius Asceterii regimen suscipere coactus est a monachis an. 1590, quo tempore novi Templi solemnem dedicationem, adstantibus Episcopis Cathalauniae, Regeque Catholico Philippo III. cum regni proceribus, ingentique populo, facere curavit. Tandem ad vitam heremiticam iterum secedens in ea perseveravit usque ad mortem quae vitae consonans extitit, quo tamen anno nobis incomptum.²⁾

26. Antonius de Sea, 1574—77,

a Mogodouro in Lusitania, monachus vero Coenobii Montis-serrati, ubi sacrum habitum induit die 12. Augusti 1545. Religiosa observantia ita profecit ut dignus inventus fuerit restaurandi observantiam in patrio Coenobio S. Martini de Tibaes, ad quod secum detulit magnum illum virum S. Ignatii de Loyola confessorium P. Joannem de Xanones, quem dicti Coenobii Abbatem reliquit. Ipse in Hispaniam reversus Abbas S. Mariae de Sopetran institutus est an. 1569, quo in munere cum praeclare se gessisset, ad supremam dignatam Congregationis evectus est. Deinde Monasterium Salmanticense rexit an. 1580, nihilque amplius de illo novimus. Fuit valde doctus egregiusque concionatur, reliquitque ubique famam prudentis et integri administratoris.³⁾

27. Christophorus de Agüero, 1577—80,

monachus Vallisoletanus, valde religiosus et prudens, atque ad pertractanda negotia maxime idoneus, quapropter multorum Coenobiorum cura ei demandata fuit, tum ante Generalatum, cum

¹⁾ Yepes, V. 340; VI. 425; VII. 343. Argaiz, »La Perla de Cataluña«, pag. 201—3, 476—77; »Soledad laureada« Matriti 1675, tom. VI. pag. 497—99; Ferotin, op. cit. pag. 210.

²⁾ Yepes, III. 385v; IV. 243; VII. 344. Argaiz »Soledad laureada«, VI. 499; »Perla de Cataluña«, 205, 211—16, 477.

³⁾ Yepes, IV, 246v; VII. 343v; Argaiz, »Perla« etc. 205—6, 212, 370, 386, 410, 477. Heredia, op. cit. pag. 175.

post illum, nempe Zamorensis, S. Petri de Eslonza (1569—74), et Carrionensis (1576), ex quo ad Vallisoletanum ascendit anno 1577. Postea fuit Abbas Charadignensis (1580—83) et tandem Salmanticensis an. 1587, qui fuit ultimus eius vitae, vix enim Salmanticam advenit cum mors eum emedio sustulit. Duorum Generalium Secretarius fuerat antequam ad culmen Congregationis perveniret, quapropter in eo positus plurimum ipsi profecit.¹⁾

28. Antonius Hurtado, 1580—83,

a Belorado, Archidioecesis Burgensis, Ordini nostro nomen dedit in perantiquo Monasterio Charadignensi, 27. Octobris 1537, ex quo iam profesus ad Silense transiit. Ad studia inde missus ita profecit, ut cunctos condiscipulos non tantum scientia, sed virtute quoque superaverit. Postea praecipua Congregationis loca concionando lustravit, nempe: Naiaram, Burgos, Hispalim, Vallisoletum et Matritum, ubi magno plausu exauditus est. Philosophiam tradidit in Collegio Ovetensi, cuius Abbas evasit anno 1555, et post decennium Charadignensis electus (27. Julii 1565). Anno 1568 Visitator generalis designatus, Hispalense Coenobium elegit, sed non multo post, propter pestilentiam, ad Silense pertransiit, et in Capitulo generali (an. 1571), cui praefuit ob mortem P. Alphonsi de Zorrilla, eius Abbas renuntiatus est, triennio vero sequenti (1574) Stae Mariae de Obarenes. Expleto feliciter generalatus munere, diversa inhabitavit Coenobia, et tandem in Charadigense pervenit, ubi senio iam confectus, inopinato casu e vivis sublatus est die 16. Januarii 1590.²⁾

29. Benedictus de Gaona, 1583—86,

a Brantavilla prope Victoriam in Cantabria, monachus Vallisoletanus, et plurium Coenobiorum Abbas nempe Samonensis (1559—62), Ovetensis (1563), Compostellani atque Exlonzensis (1580—83), ex quo ad Vallisoletanum transiit (1583). Deinde rursus fuit Abbas Samonensis (1589).³⁾

30. Antonius de Prado, 1586—89,

illustre ortus genere in oppido Valdetuexa, dioecesis Legionensis, monachus Coenobii Sahaguntini, ubi habitum suscepit die 8. Julii an. 1542. Fuit unus ex praecipuis concionatoribus sui temporis, magnaque dexteritate ad negotia peragenda praeditus, unde electus fuit Abbas primum S. Andreae de Espinareda (1561), postea

¹⁾ Yepes, I. 95v; IV. 354v; VI. 92; VII. 344. »Perla...« 206, 209, 477. Berganza, II, 220.

²⁾ Berganza, II, 313; Yepes, I, 95v; III, 233; IV, 385; Argaiz, op. cit., 209, 477; Ferotin, op. cit. 159.

³⁾ Yepes, III. 222, 233; IV. 58v, 354. Argaiz, 209, 211, 477.

Sahaguntinus (1567), deinde Salmanticensis (1571), rursusque Sti. Facundi (1584). Post munus Generalatus proprii Coenobii Abbas tertio electus, vitae cursum ibidem complevit mense februario 1594, iam Episcopus designatus, nec immerito, cum nobilitate, litteris, eloquentia vitaeque, quod praecipuum est, sanctimonia maxime praelucet.¹⁾

31. Petrus de Ocampo, 1589—92,

ex nobilissima progenie Senticae in regno Legionensi natus, et monachus Coenobii Vallisoletani. Simul electus fuit Abbas Monasterii et Moderator Generalis Congregationis. Primam dignitatem eodem anno dimisit, expletoque officio Generalatus traditum ei fuit Coenobium S. Benedicti Zamorensis, in quo mortalem cursum explevit.²⁾

32. Didacus Ordoño, 1592—95,

natus est in Barrionuevo prope Sanctum Aemilianum in Rigovia, sacrumque Benedictinae Religionis habitum induit in Monasterio Sti. Petri de Charadigna feria V. hebdomadae maioris, 7. Aprilis 1569. Post studiorum curriculum praeclare emensum, Philosophiam docuit in Universitate Hirachensi, ubi Magisterii gradum in Sacra Theologia obtinuit. Praedicatoris munere ad Coenobium Naiarense translatus, a Charadignensibus Abbas electus est 17. Junii 1584, quo tempore cultum 200 Monachorum Martyrum illius Coenobii pro viribus promovere curavit. Inde ad Abbatiam Stae. Mariae de Espino regendam pertransiit (1587), et tandem ad supremam Congregationis dignitatem sublimatus, ultimo regiminis anno (1595) e vita migravit in Monasterio Vallisoletano.³⁾

33. Petrus Barba, 1595—97,

professus Coenobii Vallisoletani, ingenio, morumque suavitate ita praecellens, ut adhuc theologiae auditor, Collegii Salmanticensis Prior eligi meruit, quo munere, completo studiorum curriculo, pariter functus est Naiarae, Hispali et Vallisoleti, ex quo assumptus fuit ad Abbatiam Legionensem, deinde ad Ripam-Silensem, postea ad Salmanticensem cum officio Definitoris (1592—95), et tandem, cum bonum nomen in his omnibus sibi comparasset, ad Vallisoletanam. Triennium Generalatus non complevit quia morte correptus in Monasterio Sti. Joannis B. Burgensis obiit anno 1597.⁴⁾

34. Alphonsus del Corral, 1597—98,

monachus quoque Vallisoletanus, magnae perfectionis vir, cui perpauci suo tempore, ait P. Yepes, eius connovitiis, aequari

¹⁾ Yepes, III. 202; VI. 70; VII. 343; Argaiz, loc. cit. Escalona, p. 208.

²⁾ Yepes, III. 222; Argaiz, 211, 477.

³⁾ Yepes, I, 95v; Berganza, II, 321; Argaiz, 216, 395, 477.

⁴⁾ Yepes, IV. 58, 301; VII. 344. Argaiz 477.

poterant, orationi atque poenitentiae addictissimus, quapropter plura officia dignitatesque ipsi concredita sunt, annoque 1597 in defuncti Abbatis Generalis locum subrogatus est. Deinde an. 1601 rursus Congregationi praefectus, et tandem an. 1607 Abbas Naiarensis renuntiatus, eo in officio vitae cursum complevit anno sequenti tanta sanctimoniae fama ut uno ore ab universa civitate Naiarensi sanctus et beatus appellaretur, atque ut talis sepulchrum eius a populo venerabatur.¹⁾

35. Joannes de los Arcos, 1598—1601,

cognomen accepit ab oppido originis, archidioecesis Burgensis, habitumque monasticum induit in Monasterio Hirachensi, Philosophiam atque Theologiam docuit in diversis Collegiis, et propter regularem observantiam et doctrinam pluries Definitor et Abbas selectus fuit. Regimen proprii Coenobii habuit an. 1589, iterumque post Generalatum an. 1601, deinde fuit Abbas Monasterii de Lorenzana, et postmodum ad suum Coenobium reversus, ibidem in pace quievit.²⁾

36. Antonius Cornejo, 1604—7,

monachus S. Martini Compostellani, et in Universitate illius Civitatis Sac. Theologiae Professor, Abbas quoque suae Domus anno 1598—1601. Obiit in Coenobio Sahaguntino. In eo concluditur alternatio Generalatus inter Vallisoletanos coeterosque Congregationis monachos.³⁾

(Continuatio sequitur.)

Die kirchengeschichtlichen und zeitgeschichtlichen Arbeiten von P. Pius Bonifazius Gams O. S. B. im Zusammenhang gewürdigt.

Mit einer vollständigen Bibliographie seiner literarischen Tätigkeit.

Von Dr. Friedrich Lauchert in Aachen.

(Fortsetzung zu Heft IV. 1906, S. 634—649.)

Im zweiten Jahrgang 1851 beginnen die „Blicke in die Zeitgeschichte“ mit dem politischen Artikel: „Deutsche Einheit oder Einigkeit?“ Die Bestrebungen der letzten Jahre, die deutsche Einheit herzustellen, lassen keinen Erfolg hoffen; möge man zuerst einmal auf die deutsche Einigkeit hinarbeiten. In großdeutschem Sinne spricht Gams seine Anschauung aus

¹⁾ Yepes, VI. 153. Argaiz, »Perla...« 228, 477; »Soledad laureada«, II. 390—91.

²⁾ Yepes, III. 387. Argaiz »Perla...« 222, 477.

³⁾ Yepes, IV. 58v. Argaiz, loc. cit.